



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

II. Vtrum sufficientia ad opera bona sit debita ex suppositione præcepti, &
consilij?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

sub dono creationis, iuxta communem loquendi modum comprehenduntur, quadam non improbanda ratione, ea scilicet, quæ modò indicata est, dicantur gratia Dei, ut testatur Augustinus cum aliis Patribus Africanis ep. 95. non tamen est *ea* gratia, cuius necessitatem docemur in Sacris litteris, ut notat ibidem Augustinus, & seuerius ep. 105. nec eius necessitatem ulli vnquam hæretici negauerunt, qui faterentur existentiam Dei, & eius libertatem: quin infensissimi gratiæ hostes Pelagius, & eius asseclæ eam vbique fatentur, & magnificè commendant.

Art. 5. Gratia igitur theologicæ considerationis propria est ea sola, quæ distinguitur à dono creationis, eidemque superadditur; id est quæ neque immediate, neque mediata debetur homini ratione suæ creationis. Sed neque omnis eiusmodi gratia est præsentis instituti. Excluduntur nimirum ab eo tum gratiæ gratis datæ, non ad propriam cuiusque, sed ad aliorum utilitatem primò, ac principaliter ordinatæ; tum auxilium externæ instructionis, & protectionis; tum auxilia habitualia. Nempe præcipuum, si non & vnicum certamen, & Conciliorum scopus fuit, eam stabilire Gratiam, quæ intrinsecè vnicuique inhaeret, & singulis operandi opportunitatibus ita deuincta est, ut illis transeuntibus, ipsa protinus intereat, quæque est indiscriminatim necessaria antè, & post conuersionem ad Deum: antè, & post iustificationem, & infusionem Habituum. Quare Gratia, quatenus est subiectum quæstionum præsentium, definiri potest: Bonum vnicuique indebitum, etiam supposita eius existentia, conferens immediate, ac positivè, ad eliciendos actus bonos; atque singulis eorum opportunitatibus deuinctum.

Art. 6. Quia verò vires Naturæ Humanæ, pro vnoquoque ex memoratis Statibus eius, sunt inæquales, atque opera pro singulis, & pro omnibus præstanda sunt itidem inæqualia, ac multipliciter inter se diuersa, patet multiplicem esse necessitatem Gratia, tum pro diuersis Statibus ad eadem opera, tum pro eodem Statu ad opera diuersa, atque inter se disparia. Dicitur itaque prius quadruplici quæstione de iis, quæ, sunt communia omnibus statibus pro quolibet opere, deinde quæ sunt communia Naturæ Integræ, & Reparatae relatè ad finem supernaturalem per sex alias quæstiones: ac demum, quæ conueniunt Naturæ lapsæ tum secundum se, tum ut comparatæ cum Natura pura. Post quæ solæ supererunt exponendæ diuisiones, & munera Gratia.

Ex his respondetur ad 1. Deus licet nihil debeat propriè post creationem, sicut antea nihil debebat propriè, tamen positis quibusdam effectibus, habet aliquam necessitatem quosdam alios adiungendi, quorum additio est necessaria ad perfectionem operis prioris: atque hæc necessitas dicitur, & est lata quadam ratione debitum fundatum in ratione Diuinæ Sapientiæ. Quædam autem alia superadduntur prioribus effectibus, quæ non sunt ita debita, & quæ talia sunt, dicuntur superaddita dono creationis.

Ad 2. Est quidem communis omni Statui, & pro omni opere necessitas auxilij diuini. Verum quia debilitas Naturæ non semper est eadem, nec opera, quæ præstare debet, sunt omnia eiusdem generis, superest locus multiplici necessitati Gratia coniunctæ cum vniuersitate dependentiæ à Deo, & subordinatione ad ipsum, essentialiter inclusa in conceptu creaturæ ut sic, & in genere.

Ad 3. Doctrina reuelata in primis non est restricta ad præsentem statum Naturæ lapsæ; quin etiam integram comprehendat. Deinde ex iis, quæ docemur circa præsentem statum, deducuntur multa pertinentia ad alios statum, atque eorum comparatio, & notitia valet plurimum, ad intelligentiam eorum, quæ

dicuntur de statu præsentis, ut apparebit ex dicendis. Quare possibilis, utilis, & honesta est omnium eorum Statuum intima, quoad fieri poterit consideratio.



QVÆSTIO II.

Vtrum sufficientia ad opera bona sit debita ex suppositione Præcepti, & Consilij?



DETVR non esse debita. 1. Quia concilium Tridentinum loco mox indicando, monet vnumquemque petere, quæ non possit: Ea autem sunt, vel Præcepta à Deo, vel Consulta; ergo non sunt aliqua sub Præcepto, aut Consilio Dei, quæ præstare non possumus. Ergo sufficientia neganda est ex suppositione Concilij, & Præcepti.

2. Præcepta, & Consilia Dei nos obligant, non ipsum Deum. Ergo Deus ex vi horum non tenetur ad dandam sufficientiam, licet nos teneamur ad præstanda opera.

3. Peccatori potest negari in pœnam peccati sufficientia ad opera tum Præcepti, tum Consilij, & tamen ratione peccati, non debet liberari Peccator ab onere Legis, & Consiliorum: Ergo Lex, & Consilia non sunt inseparabilia à sufficientia ad opera Legis, & Consilij.

4. Augustinus, & alij Sancti Patres docent frequenter, peccatoribus obduratis, esse impossibilem conuersionem ad Deum, & pœnitentiam finalem, ad quas tamen obligantur Lege Dei. Manifestum autem est eam impossibilitatem esse indistinctam à defectu sufficientiæ.

Art. 1. Respondetur Deus impossibilia non iubet, ut definit Concil. Trid. sess. 6. c. 11. Reddit rationem Aug. c. 69. de Nat. & Grat. Arbitr. *Eo quippe ipso, quo firmissimè creditur, Deum iustum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, &c.* Serm. 61. de temp. inter princip. & med. *Nec impossibile potuit imperare, qui iustus est; nec damnaturus est hominem, pro eo quod non potuit vitare, qui pius est.* Itaque damnari non potest, qui secus facere non potuit. Damnari autem potest, & debet, qui facit contra Legem Dei, nec tamen vitare id potest, qui non habet sufficientiam, ut conseruetur. Ergo obligatio Legis est inseparabilis à sufficientia conformitatis cum ipsa. Hinc est illud eiusdem Augustini c. 66. de Natura, & Gratia. *Quæcumque ista causa est Voluntas, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur.* Motivo autem impellenti contra Legem Dei, nec ceditur sine peccato, ut liquet ex Augustiniana peccati definitione, Dictum, factum, &c. Nec resisti potest, non habita sufficientia ad resistendum, & præstandum opus præceptum. Ergo fieri posset, quod est factum impossibile, si adsit Lex sine sufficientia.

Art. 2. Haud est minus efficax, aut minus clara ratio Chrysostomi Hom. 16. in Epist. ad Hebr. *Si enim impotentes nos fecit, & deinde imperat, culpa eius est.* Nempe operationes, & omissiones provenientes ex antecedenti simplicitate, seu necessitate, seu impossibilitate non attribuuntur, quoad laudem, & vituperium Operanti, ac Omittenti, sed inducenti talem, seu necessitatem, seu impossibilitatem. Defectus autem sufficientiæ ad opus per seipsum, est impotentia operandi, & impossibilitas operis hic, & nunc. Ergo Deo negante sufficientiam ad opus præceptum, culpa

culpa omissionis attribueretur ipsi, essetque propria ipsius, quod repugnat.

Art. 3. Eodem recidit, Deo volente aliquid voluntate simpliciter antecedenti, necessario velle, quidquid inde sequitur necessaria, & inenitabili consequentia. Quia quod simpliciter antecedit, continet in se virtualiter, quidquid inde essentialiter consequitur. Præterea, non dato consequente, repugnat dari antecedens essentialiter illatum illius; ac proinde necesse est frustrari voluntatem efficacem talis antecedentis, non dato tali consequenti: Repugnat verò voluntatem efficacem Dei simpliciter antecedentem, non velle ne ipsa frustretur, & consequenter, non velle quidquid est necessarium, ne ipsa frustretur. Voluntas autem Dei, tum qua præcipit aliquid, tum qua negat sufficientiam ad aliquid, sunt simpliciter antecedentes, respectu actus, qui præcipitur, & ad quem sufficientia negatur. Deinde Voluntas, qua negat sufficientiam ad actum, essentialiter infert omissionem illius; & qua præcipit actum, æquè essentialiter reddit peccaminotam omissionem eius. Ergo si Deus utramque eam voluntatem simul haberet respectu eiusdem actus, volitum consequenter à Deo esset peccatum consistens in eius omissione. Tam igitur repugnat, negari à Deo sufficientiam ad opus ab ipso præceptum, quam repugnat ipsum esse Auctorem, & intentorem peccati.

Art. 4. Eadem ferè ratio est de connexionè consilij cum sufficientia ad opus consultum. Nec enim minus irrationabile est, consulere, quam præcipere impossibilia: Nec minus repugnat Deo attribui imperfectionem, quæ inest omissioni actus consulti, ipsumque esse eius Auctorem, ac intentorem, quam eadem eidem repugnant respectu peccati. Deinde commune est Consilio cum Præcepto, ut moueat, ac impellat ad opus consultum, & præceptum: Negationi verò sufficientiæ essentialis est, ut retrahat ab opere, ad quod ea negatur. Implicat autem Deum simul impellere ad aliquid, & ab eodem retrahere, atque penitus abstrahere. Repugnat igitur negari sufficientiam ad opus aliquod, seu præceptum, seu consultum, ac proinde sufficientia ad illud, non habet rationem Gratia ex suppositione Præcepti, & Consilij, nec est donum moraliter distinctum, licet sit physice realiter distinctum, & naturæ secundum se superadditum, præcisè quatenus sufficientia est, ab eodem Consilio & Præcepto.

Ad 1. Dum Consilium dicit petendum quod non possumus, satis aperte indicat, illud non posse restringi ad impotentiam ex suppositione, & secundum quid. Nec enim absolute deest sufficientia ad aliquod opus, quando adest sufficientia ad illam petendam, uti Consilium supponit adeste, & petitione potest haberi quod petitur.

Ad 2. Obligat quidem nos solum Lex Dei, Deum verò licet non obliget, necessitat tamen necessitate indistincta ab ipsa sua voluntate, ut nobis faciat proximè possibile, quod vult efficaciter, ut exequamur: Atque hæc inseparabilitas voluntatis nos obligantis, à voluntate reddendi proximè possibilem terminum obligationis, dicitur quodammodo debitum, dandi sufficientiam.

Ad 3. Ea Lex, cuius adimplendæ sufficientia omnis potest negari in pœnam peccati, habet rationem gratia. Vnde damnati in pœnam peccati non habent amplius Legem obligantem ad spem beatitudinis obtinendæ. Quare Lex cuius obligatio non aufertur ratione peccati, habet sibi necessariò adiunctam sufficientiam ad opus, ad quod obligat, non obstante peccato.

Ad 4. Impossibile apud Augustinum, & alios Patres, sicut & ex usu vulgari læpè usurpatur pro eo,

R.P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

quod est difficillimum, nec prudenter sperabile, seu moraliter impossibile, licet physice, & citra miraculum possibile sit absolute. Atque hoc pacto, & non aliter dicuntur impossibilia respectu obduratorum, ea opera, quorum omissione peccant. *Nemo enim peccat in eo, quod vitare non potest*, ut docet idem Augustinus lib. de duab. anim. c. 19. & 11. Quod si nullus, nec utique obduratus, peccat in eo, quod vitare omnino non potest. Qua de re dicuntur plura in progressu.



QVÆSTIO III.

Utrum debeat per se sufficientia, non tantum Physica, sed etiam Moralis, ad vitandum peccatum?



DETVR solam Physicam deberi. 1. Quia aliquibus aliquando negatur sufficientia moralis ad vitandum peccatum, idque, ut ita enunciat, est necessarium ex natura rei: Occurrunt enim aliquando ex cursu naturali causarum secundarum circumstantiæ tales, quibus positus prudenter aut sperari, aut iudicari non potest vitandum esse peccatum: Ideoque quibus positus eo ipso non adsit sufficientia moralis vitandi. Quod autem alicui aliquando negatur, non est debitum per se, & ex natura rei, quia Deus nunquam cuiquam negat de facto, quod est debitum.

2. Sufficientia maior minima naturaliter possibili, est negabilis naturaliter, ac proinde habet rationem Gratia superadditæ Creationi. Negabilitas talis sufficientiæ maioris minima ex eo patet, quia negationem eius in se formaliter continet collatio sufficientiæ, quæ est minima inter omnes naturaliter possibili. Sufficientia autem ista minima existeret in primis potest ex natura rei, alias non computaretur inter naturaliter possibili. Deinde non reddit opus moraliter possibile, quia sufficientia purè physica non reddit opus ita possibile, & tamen est contenta intra ordinem Naturæ, atque adeo est naturaliter possibilis. Ergo sufficientia moralis ad vitandum peccatum, non est debita per se.

Resp. Deus diligit omnia quæ sunt, & nihil odio eorum quæ fecit: Nec enim odians aliquid constituit, aut fecit, ut constat ex Sap. 11. Atque hoc, vel maxime locum habet in creatione substantiarum rationalium, utpote quæ habent rationem finis respectu cæterorum omnium operum Dei. Atque est de ratione Finis, ut ametur magis quam Media per amorem bene ordinatum. Non autem dilexisset Deus substantias rationales, sed potius odio eas habuisset, atque odiendo constituisset, & fecisset, si non contulisset sufficientiam moralem ad vitanda peccata, saltem lethalia. Constituisset enim illas, ea negata, in necessitate morali amittendi suam æternam felicitatem, & incidendi in æternam miseriam, & apponendi causam eius effectus deteriore eodem. Hoc autem patet esse obiectum, & effectum odij, magis quam amoris, & dilectionis. Est enim status infelicitissimus à nemine prudenter eligibilis, & quo nihil deterius summum odium parere possit. Accedit vnum ex præceptis divinis, per se obligantibus substantiam quamlibet rationalem, esse Præceptum sperandi consecutionem Beatitudinis. Quod autem à Deo præcipitur, à quocumque fit, prudenter fit: At non prudenter speratur, quod est moraliter impossibile.

M m 2

Stultus